



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.  
Thomae Aquinatis**

**Nazarius, Johannes P.**

**Coloniae, 1621**

Articvlvs Secvndvs. Vtrum Pater, & filius diligant se Spiritus sancto.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82303)

ARTICVLVS SECVNDVS.

Utrum Pater, & filius diligant se Spiritu sancto.

109. 1. dif. 14. q. 1. ar. 1. cor. Et dist. 32. q. 1. ar. 1. Et 4. con. cap. 23. fi. & po. q. 2. ar. 3. 11. & q. 9. ar. 9. 13. 17. de tri. c. 1. in fi. praeferimus. 10. 3. 7. ar. prae. & q. 27. ar. 3.

**A**D Secundum sic proceditur. Videtur, quod pater, & filius non diligant se Spiritu sancto. Augustinus enim \* in 7. de Trinitate. probat, quod pater non est sapiens sapientia gentia. Sed sicut filius est sapiens sapientia gentia, ita Spiritus sanctus est amor procedens ut dictum est. Ergo Pater & filius non diligunt se amore procedente, qui est Spiritus sanctus.

**2** Præterea. Cum dicitur, pater & filius diligunt se Spiritu sancto, hoc verbum diligere, aut sumitur essentialiter, aut notionaliter. Sed non potest esse verum secundum, quod sumitur essentialiter, quia pariratione posset dici, quod pater intelligit filio. Neque etiam secundum quod sumitur notionaliter, quia pariratione posset dici, quod pater, & filius spirant Spiritu sancto, vel quod pater generat filio. Ergo nullo modo hoc est verum: pater, & filius diligunt se Spiritu sancto.

**3** Præterea. Eodem amore pater diligit filium, & se, & nos. Sed pater non diligit se Spiritu sancto, quia nullus actus notionalis reflectitur super principium actus non enim potest dici, quod pater generat se, vel spirat se. Ergo etiam non potest dici, quod diligit se Spiritu sancto, secundum quod diligere sumitur notionaliter. Item: amor quo diligit nos, non videtur esse Spiritus sanctus, quia importat respectus ad creaturam: & ita ad essentiam pertinet. Ergo & hoc est falsa, pater diligit filium Spiritu S.

**Sed contra est,** quod August. dicit \* 6. de Trinitate. quod Spiritus sanctus est quo generatus a generante diligitur, generantemque suum diligit.

Respondeo. Dicendum, quod circa hanc questionem difficultatem effert, quod cum dicitur, pater diligit filium Spiritu sancto, cum ablativus construatur in habitudine alicuius cause, videtur, quod Spiritus sanctus sit principium diligendi, & patri, & filio: quod est omnino impossibile. Et ideo quidam dixerunt hanc esse falsam, pater, & filius diligunt se Spiritu sancto. Et dicunt hanc esse retractatam ab August. in suo simili. cum scilicet retractavit istam, quod pater est sapiens sapientia gentia. Quidam vero dicunt, quod est propositio impropria: & est sic exponenda. Pater diligit filium Spiritu sancto, id est, amore essentiali, qui appropriatur Spiritu sancto. Quidam vero dixerunt, quod ablativus iste construatur in habitudine signi, ut si sensus, Spiritus sanctus est signum, quod pater diligit filium, in quantum procedit ab eis Spiritus sanctus ut amor. Quidam vero dixerunt, quod ablativus iste construatur in habitudine cause formalis, quia Spiritus sanctus est amor, quo formaliter pater & filius se invicem diligunt. Quidam vero dixerunt, quod construatur in habitudine effectus formalis. Et isti propinquius ad veritatem accesserunt. Unde ad huius evidentiam sciendum est, quod cum res communiter denominentur a suis formis, sicut album ab albedine, & homo ab humanitate, omne illud a quo aliquid denominatur, quantum ad hoc, habet habitudinem forme. Ut si dicam, iste est indutus vestimento, iste ablativus construatur in habitudine cause formalis, quamvis non sit forma. Contingit autem aliquid denominari per id, quod ab ipso procedit, non solum sicut agens actione: sed etiam sicut ipso termino actionis, qui est effectus, quando ipse effectus in intellectu actionis includitur. Dicimus enim, quod ignis est calefaciens calefactione, quamvis calefactio non sit calor, qui est forma ignis: sed actus ab igne procedens. Et dicimus, quod arbor est florens floribus,

Lib. 1. retractat. ca. 26. aliquantulum prius 10. 1.

D. 450.

**A** quamvis flores non sint forma arboris: sed quidam effectus ab ipsa procedentes. Secundum hoc ergo dicendum, quod cum diligere in divinis dupliciter sumatur, essentialiter scilicet & notionaliter; secundum quod essentialiter sumitur, sic pater, & filius non diligunt se Spiritu sancto: sed essentia sua. Unde August. in \* 15. de Trinitate. Quis audeat dicere patrem nec se, nec filium, nec Spiritum sanctum diligere nisi per Spiritum sanctum? Et secundum hoc procedunt primæ opinionēs. Secundum vero, quod notionaliter sumitur, sic diligere nihil est aliud, quam spirare amorem, sicut dicere est producere verbum, & florere est producere flores. Sicut ergo dicitur arbor florens floribus, ita dicitur pater dicens verbo vel filio se, & creaturam. Et pater, & filius dicuntur diligentes Spiritu S. vel amore procedente, & se & nos.

Lib. 15. de Trinitate c. 7. inter principia & med. 19. 3.

**Ad Primum ergo dicendum,** quod esse sapientem, vel intelligentem, in divinis non sumitur nisi essentialiter. Et ideo non potest dici, quod pater sit sapiens, vel intelligens filio. Sed diligere sumitur non solum essentialiter: sed etiam notionaliter. Et secundum hoc, possumus dicere, quod pater, & filius diligunt se Spiritu sancto, ut dictum est.

198

**Ad Secundum dicendum,** quod quando in intellectu alicuius actionis importatur determinatus effectus, potest denominari principium actionis ab actione, & ab effectu, sicut possumus dicere, quod arbor est florens floritione, & floribus. Sed quando in actione non includitur determinatus effectus, tunc non potest principium actionis denominari ab effectu: sed solum ab actione. Non enim dicimus, quod arbor producit florem flore: sed productione floris. In hoc igitur, quod dico, spirat, vel generat, importatur actus notionalis tantum. Unde non possumus dicere, quod pater spirat Spiritu sancto, vel generet filio. Possumus autem dicere, quod pater dicit verbo tanquam persona procedente, & dicit dictione, tanquam actu notionali: quia diceri importat determinatam personam procedentem, cum dicere sit producere verbum. Et similiter diligere, prout notionaliter sumitur, est producere amorem. Et ideo potest dici, quod pater diligit filium Spiritu sancto tanquam persona procedente, & ipsa dilectione tanquam actu notionali.

In corp. art.

**Ad Tertium dicendum,** quod pater non solum filium: sed etiam se, & nos diligit Spiritu sancto, quia (ut dictum est \*) diligere prout notionaliter sumitur, non solum importat productionem divinae personae: sed etiam personam productam per modum amoris, qui habet habitudinem ad rem dilectam. Unde sicut pater dicit se, & omnem creaturam verbo, quod genuit, in quantum verbum genitum sufficienter representat patrem, & omnem creaturam, ita diligit se, & omnem creaturam Spiritu sancto, in quantum Spiritus sanctus procedit, ut amor bonitatis primæ, secundum quam pater amat se, & omnem creaturam. Et sic etiam pater, quod respectus importatur ad creaturam, & in verbo, & in amore procedente quasi secundario, in quantum scilicet bonitas, & veritas divina, est principium intelligendi, & amandi omnem creaturam.

In istis art.

51

Sensus quaesiti.

**Q**VAESTIO est de veritate propositionis, ut patet ex totius articuli discursu tam in corpore quam in argumentis & eorum responsionibus. Nam de re factis constat, ut hic etiam advertit Cai. Pater enim & filius amando se notionaliter spirant Spiritum S.

Forma Textus.

**R**ATIONEM primò difficultatis affert S. D. Deinde 5. refert opiniones; postremò praxim ista

missa distinctione duabus responderet conclusio-  
nibus, prædictas omnes opiniones & præcipue  
quintam trahens ad bonum sensum.

*Distinctio est.* Diligere in diuinis dupliciter sum-  
mitur, scilicet essentialiter & notionaliter. Hæc  
patet ex præc. a. & nihilominus explicatur secundum  
membrum per hoc, quod sic diligere nihil  
aliud est, quam spirare amorem sicut dicere &c.  
**PRIMA CONCL.** est. Sumendo diligere essentialiter,  
Pater & filius non diligunt se Spiritu S. sed essen-  
tia sua. Probatur ex Aug. lib. 15. de Trinitate capi. 7.  
*Quis audeat dicere patrem &c.* Et iuxta sensum hu-  
ius conclusionis veræ sunt quatuor priores opi-  
niones: prima videlicet dicentium illam propo-  
sitionem, Pater & filius diligunt se Spiritu S. fal-  
sam esse, quia scilicet Spiritus sanctus non est for-  
maliter dilectio essentialis: & secunda ut patet:  
tertia verò, quia ex Spiritu S. procedente quasi à  
posteriori cognoscitur essentialis dilectio, qua  
formaliter se diligunt pater & filius: sicut ex ver-  
bo procedente cognoscitur essentialis sapientia  
patris, quasi à posteriori; quarta denique nullam  
potest habere veritatem, nisi accipiendo Spiritum  
S. quatenus idem est realiter, quamuis non  
formaliter, quod amor essentialis.

**SECUNDA CONCL.** est. Sumendo diligere  
notionaliter, Pater & filius dicuntur diligentes  
Spiritu S. vel amore procedente & se & nos. Pro-  
batur. Quando effectus in intellectu actionis in-  
cluditur, potest agens denominari ab actione, &  
à termino, qui est actionis effectus: sed diligere  
notionaliter sumptum est actio talis; ergo pater  
& filius possunt denominari & à dilectione & à  
Spiritu S. Maior manifestatur exemplo dupli-  
ci, scilicet ignis calefacientis & arboris florentis,  
ut patet in textu. Minor declaratur ex duobus  
similibus, scilicet dicere & florere, sic argu-  
endo: Diligere notionaliter sumptum nihil aliud  
est, quam spirare amorem: sicut dicere est pro-  
ducere verbum: & florere est producere flores;  
ergo sicut dicitur arbor florens floribus, ita  
dicitur pater dicens verbo vel filio se & crea-  
turam: & pater & filius dicuntur diligentes Spi-  
ritu sancto &c. Reducitur autem opinio quinta  
ab bonum sensum declarando quomodo illud  
omne, à quo aliquid determinatur ut sic habet  
habitudinem formæ, ut patet in textu.

*Expofitio Textus.*

**A**DVERTE primò D. Thom. in 1. distin. 32. q. 1.  
1. a. 1. referre septem opiniones, ex quibus  
sex primas confutat, ultimam verò, quæ hic est  
quinta, cuius auctor est Vgo de S. Victore, ut  
veram approbat & exponit. Argumenta contra  
dictas opiniones refert hic Iauel. ex D. Th.

*Secundo fito maiorem assumptam in proba-  
tione secundæ conclusionis latius explicari ab  
Angelico nostro Doctore in dicto 1. a. ibi. Tamen  
ad explicationem eius sciendum est &c.* Quam do-  
ctrinam exponit Sylu. in conflatu articulo quarto.

*Tertiò lege si placet apud Magistrum Porr.*

subtilem explicationem illius propositionis;  
*Res communiter denominantur à suis  
formis, ex autore tabulæ au-  
reæ, Dubio 450.*

PRIMA CONTROVERSA.

*An sit propria & vera hæc propositio: Pater & Filius  
diligunt se Spiritu sancto?*

**S**COTVS in 1. distin. 32. q. 2. D. Tho. sententi-  
am impugnat, ut suam statuat: quam multis  
explicat Rada controuer. 17. Sed summa hæc est.  
Quemadmodum verbum nostrum dicit dupli-  
cem habitudinem ad suum producens, alteram ge-  
niti ad gignens, alteram declarantis ad declara-  
tum: & prima est realis & mutua: secunda verò  
non est mutua; sic amor in nobis dicit duas rela-  
tiones, vnam producti ad voluntatem ut pro-  
ducentem, & hæc est mutua: alteram ad obiectum  
dilectum & amatum quæ non est mutua. Et si-  
cut notitia genita, quæ est verbum, declarat for-  
maliter obiectum latens in memoria: id verò  
quod producit notitiam actualem, & dat illi vim  
declarandi, potest dici declarare ista notitia qua-  
si effectiue suæ principatiue: sic Spiritus S. for-  
maliter diligit, prout diligere importat habitu-  
dinem ad res dilectas: Pater verò & filius prin-  
cipatiue; quia producent Spiritum sanctum ip-  
sos diligentem. Et sicut dicere in diuinis acci-  
pitur tribus modis: primò essentialiter; secundò  
notionaliter; tertio ut significat habitudinem ra-  
tionis, quæ est declarare; & hoc dupliciter: vno  
modo prout declarare competit alicui formaliter;  
alio modo prout alicui conuenit principatiue;  
connotando tamen productionem, seu re-  
lationem realem generantis ad genitum, seu di-  
centis ad verbum dictione productum: ita dili-  
gere sumitur tribus modis, primò essentialiter &  
sic est commune tribus: secundò notionaliter &  
tunc significat præcisè illam relationem realem  
originis, quæ est spirati ad spiratum: tertio sumi  
potest diligere, nec merè essentialiter, nec merè  
notionaliter sed mixtè, & sic primò & per se  
significat habitudinem diligentem ad res dilectas,  
non formaliter sed principatiue: connotat  
tamen productionem Spiritus S. quam consequi-  
tur habitudo quædam ad res amatas. Et sicut  
habitudo declarantis formaliter ad declarabile  
non est propria verbo, sed ei appropriatur; quia  
magis conuenit cum proprio eius, quam cum  
proprio aliarum personarum: quia procedit ut  
notitia actualis genita, cui conuenit declarare:  
ita relatio ad res amatas communis est toti Trini-  
tati, sed appropriatur Spiritui S. propter mo-  
dum suæ originis suæ processions. Quibus præ-  
missis & latissimè declaratis statuit sex conclu-  
siones. *Prima.* Si diligere sumatur primo modo  
scilicet essentialiter tres personæ sunt vnum di-  
ligens & quælibet persona formaliter sibi ipsa  
diligit. Hanc probat ex D. Aug. 15. de Trin. cap. 7.  
*Secunda concl.* Si diligere accipiatur essentialiter,  
hæc propositio est falsa, Pater & filius diligunt  
se Spiritu S. & similiter illa, Pater diligit filium  
Spiritu S. *Tertia conclusio.* Si diligere accipiatur  
pure notionaliter, per eo quod est spirare amo-  
rem infinitum, scilicet spiritum sanctum, hæc  
propositio, Pater & filius diligunt se Spiritu  
sancto, nec est propria nec vera. Hæc conclusio  
(inquit) videtur esse contra D. Thom. *Quar-  
ta conclusio.* Hæc propositio, Pater & filius di-  
ligunt se Spiritu sancto est propriissima & ver-  
issima. *Quinta conclusio.* Cum hæc propo-  
sitione, Pater & filius diligunt se Spiritu san-  
cto est propria & vera, diligere non sumitur  
essentialiter nec pure notionaliter, sed mixto  
modo: & tunc primò & per se significat habitudi-  
nem

*Sententia  
Doctorem.*

in ad res dilectas, connotat tamen relationem A spirantis ad spiratum. *Ultima* conclusio. Sensus huius propositionis, Pater & filius diligunt se Spiritu sancto, est iste: Pater & filius producant Spiritum sanctum diligentem seipsum: sicut sensus huius propositionis, Pater dicit se verbo, est, Pater dicit verbum declarans ipsum Patrem. Denique Scotus negat hanc, Pater & filius diligunt se & creaturam Spiritu S. Durandus sequitur primam & secundam opinionem in texturelatas.

Torres suam sex dictis sententiam aperit. *Primum* est. Opinio Durandi dicentis dictam propositionem & similes esse falsas aut improprias neque est heresis, neque error, quoniam oppositum non est ab Ecclesia definitum, neque continetur in sacris litteris &c. *Secundum*. Disputatio hæc non est maximi momenti, cum non sit de re sed de nomine & de modo loquendi; quamvis omnino questio de Deo, quæ à Doctoribus & Sanctis agitur, magni momenti habenda fuerit. *Tertium*. Afferendum est patrem & filium non tantum diligere Spiritu S. sed etiam amore essentiali qui est ipsa diuina essentia. *Quartum*. Præfata propositio est vera & propria in sensu assignato à D. Tho. & alijs Doctoribus, videlicet, Pater & filius diligunt se Spiritu S. i. producant Spiritum sanctum. *Quintum*. Ingenuè fatemur nos non posse intelligere, quoniam pacto prædicta propositio sit propria in sensu assignato. *Ultimum*. Hæc propositio, Pater & filius diligunt se & creaturam Spiritu S. in hoc sensu vera est, nimirum, Pater & filius dum diligunt se & creaturam, producant Spiritum S.

Molina sententiam amplectitur Durandi, dicens illam propositionem, Pater & filius diligunt se Spiritu S. non videri posse aliter exponi, quam hoc modo: Pater & filius amando se essentialiter, spirant Spiritum S. quo se amant; quod tamen est fallum quo ad posteriorem partem, eo quod, vt auctores ipsi contraria sententia affirmant, Pater & filius non amant se essentialiter Spiritu S. ideo (inquit) prædicta propositio mihi falsa videtur: videnturque auctoritates Sanctorum exponenda, vt Durandus cas exponit. Deinde docens modum, quo sustineri possit sententia D. Thomæ & Sanctorum, affirmat se non satis percipere, quomodo propria sit in eo sensu dicta propositio, quamvis verissimam esse fateatur.

Capreolus in 1. dist. 32. q. 1. quem vniuersi sequuntur discipuli D. Thom. dictam propositionem affirmat esse veram & propriam. Sed non conueniunt Thomistæ in explicanda & probanda dictæ propositionis veritate & proprietate, cum tamen se loqui profiteantur omnes ad mentem Angelici nostri Doctoris.

Vt igitur in hac satis perplexa difficultate legitimum dicendi modum à minus probabilibus discernere valeamus, præmittimus de more pauca quedam, & firma veritatis fundamenta: ex quibus de varijs dicendi modis Thomistarum, & aliorum expositorum ac Doctorum non erit difficile iudicare.

SCIENDUM est primò ex D. Thom. in 1. dist. 32. q. 1. a. 1. denominationem fieri posse tripliciter. Primò à forma, quæ est principium actionis in agente, prout dicimus ignem moueri sursum leuitate, & terram deorum grauitate. Secundò, ab actione, quæ ab agente procedit. Et quod (inquit S. Th. actio sit in agente, hoc accidit illi quatenus est accidens. Vnde in genere actionis denominatur agens per id quod ab eo

est, & non per id quod principium eius est. Dicitur enim actione agens: nec tamen actio est principium agentis, sed è contra. Et si per impossibile poneretur esse aliquam actionem quæ non esset accidens, non esset inhærens, & tamen denominaret agentem: & tunc agens denominaretur per id, quod ab eo est, quod tamen non esset in eo vt inhærens. Hæc serè ad verbum D. Th. Tertio fieri potest denominatio ab actionis termino, qui est effectus: sicut dicimus arborem florere floribus & ignem calefacere calore producto. Sic igitur in re proposita potest Deus à tribus diligens denominari: Primò à forma, quæ dilectionis est principium: secundò ab actu dilectionis: tertio à termino dilectione producto.

Sed quoniam diligere in diuinis dupliciter sumi potest scilicet essentialiter & notionaliter, & vtroque modo proprium habet in ipso Deo diligente principium: ideo variè potest Deus diligens denominari, tam ab actu dilectionis, quam ab eius principio. Nam si dilectio siue diligere sumatur essentialiter, prout scilicet dicitur actum voluntatis tribus communem cum habitudine ad obiectum diligibile, principium eius non quidem realiter, sed secundum rationem elicitiuum erit essentia, & ipsa voluntas cum charitate, à quibus Deus tanquam vno dilectionis principio denominabitur diligens. Dicitur enim Deus diligere se ipsum & creaturas amore, qui est essentia sua, voluntas & charitas, vt vno dilectionis principio. Si verò diligere sumatur notionaliter, prout idem est quod spirare amorem, sic principium eius elicitiuum est proprietates communis patri & filio, quæ est principium huius actus modo in a. 4. q. 1. præcedentis explicato; & ab hac proprietate velut à forma, quæ principium est dilectionis notionalis, quæ productio est vel processio Spiritus Sancti, denominatur Deus Pater & filius diligens notionaliter: Dicitur enim pater diligere filium amore, qui est ipsa proprietates, quæ principium est processionis Spiritus S. Ab actu verò diligendi essentialiter sumpto dicitur Deus diligens amore, qui est essentia sua, quæ idem est quod diligere essentialiter sumptum, eo modo quo idem est essentia diuina cum quolibet attributo siue absolute sua perfectione. Quod si diligere sumatur notionaliter, prout idem est quod amorem spirare, denominabitur Deus pater & filius diligens ipso actu notionali, qui est spiratio siue amoris productio. Denique fieri potest Dei diligentis denominatio à termino producto dilectionis & ita dicitur Deus pater & filius diligere se Spiritu S. vt amore personali ab vtroque procedente.

Huius denominationis rationem affert S. Regula. Doc. ex ea communi regula: Quando in intellectu actionis includitur effectus, siue terminus, potest produci non solum ab actione, tanquam agens denominari, sed etiam ab effectu sicut à termino actionis. Cuius regulæ sensum & fundamentum, etsi variè videantur interpretes explicare, idem tamen omnes insinuant. Nam Capr. sic eam interpretatur. Tunc (inquit) in intellectu actionis includitur determinatus effectus, quando verbum, quo significatur actio, simul importat effectum & emissionem effectus: sicut diligere dicit amorem & emissionem eius vnde includit actionem & eius terminum vel effectum. At verò spirare vel generare solam dicit emissionem actus; quod ex hoc (inquit) cognoscitur, quod ad verbum illud spirare conuenienter additur

Sensu illius regulae. quæ do intellectu actionis est.

Sensus Regule.

Resolutio. Probatur veritas & proprietates dictæ propositionis ex triplici modo denominationis agentis, & vt sequitur

Cai. distin-  
ctio duplex.

ditur effectus eius, siue terminus scilicet spiri-  
tus, dicendo Pater spirat spiritum: & conuenien-  
ter dicitur, Pater generat verbum: immo nec ali-  
ter est sensus perfectus: sed ad verbum *diligit* non  
additur effectus importatus scilicet amor, vt di-  
catur diligit amorem; cum enim dicitur diligit,  
intelligitur quod amorem producit. Quam in-  
terpretationem sequitur & exponit Cai. duplici  
distinctione. *Prior* est. Aliquid includi in intelle-  
ctu actionis contingit dupliciter. *Vno modo* lo-  
quendo de actione absolute, & sic non intelligi-  
tur regula D. Thomæ. *Alio modo* loquendo de a-  
ctione sic significata, & ita intelligenda est præ-  
dicta regula. Nam, etsi notionalis actus, quo pa-  
ter & filius producent Spiritum S. vnus sit tan-  
tum rationis absolute: quatenus tamen diuersis  
illis vocibus nimirum spirare & diligere signifi-  
catur, diuersa rationis est. Nam vt significatur  
verbo, *spirare*, solum importat actum notional-  
tem: vt autem significatur verbo diligere notio-  
nallyter sumptum, non sola denotatur actio,  
sed cum ea simul importatur illius terminus, qui  
est persona producta, qui est amor spiratus siue  
Spiritus S. Nam diligere notionaliter est produ-  
cere amorem: sicut dicere est producere verbū,  
vt ait S. Th. ad 2. *Posterior distinctio* est. In intelle-  
ctu actionis sic significata dupliciter potest effe-  
ctus includi: *Vno modo* vt actio ipsa specificans  
siue qualitate aut specie eius determinans: quem-  
admodū in intellectu actionis, quæ est ædis effe-  
ctiua, prout significatur hoc verbo, *edificare*, clau-  
ditur ædes: & in actione citharæ pulsatiua, vt signi-  
ficatur verbo, *citharizare*, clauditur cithara, vt a-  
ctionis qualitatem & specie determinans, & ab alijs  
eiusdem vel alterius generis distinguens: &  
de hoc inclusionis modo non intelligitur re-  
gula D. Thomæ. Nam sic etiam verbum, *spirare*, in-  
cludit terminum & quasi effectum actus spiran-  
di, scilicet vt specificantem & distinguentem  
spirationem à generatione & à qualibet alia ope-  
ratione. *Alio modo* potest effectus siue terminus in  
intellectu significata actionis includi vt actioni  
coniunctus, tanquam productum suæ produ-  
ctioni: ita scilicet vt veluti coniunctus significetur:  
& hic est inclusionis modus de quo loquitur  
S. D. Eo namque posito, potest agens siue  
producentis denominari; non ab actione tan-  
tum sed etiam ab effectu siue termino produ-  
cto.

Capr. regula

Quomodo verò discerni valeant verba inclu-  
dencia effectum vt actioni coniunctum ab ijs,  
quæ eundem includunt effectum vt specifican-  
tem, docet Capreolus per hoc distingui, quod  
verba posterioris ordinis regunt accusatiuum,  
qui non designat effectum illarum actionum,  
quas significant: sed accusatiuum designantem  
rem, ad quam talis effectus habet habitudinem  
(intellige tanquam ad obiectum, vel tanquam ad  
materiam circa quam) vt dicere & diligere. *Vn-*  
*de* (inquit Capreolus) non oportet dicere, Pater  
dicit verbum; quia in dicere intelligitur produ-  
cere verbum: potest tamen congruè dici, Pater  
dicit se, filium & creaturam verbo; nam vox illa,  
*dicit*, importat producere verbum; accusatiua ve-  
rò illa videlicet se, filium & creaturam signifi-  
cant obiectum, siue res ad quas effectus siue ter-  
minus productus habet habitudinem represen-  
tatiui ad representata. Illa verò scilicet inclu-  
dencia effectum vt specificantem regunt accusa-  
tium, qui designat effectum actionis per ver-  
bum significata: vt cum dico, Pater generat fi-  
lium: Pater & filius spirant Spiritum S. Petrus æ-  
dificat domum. Et sermo est de effectu, prout i-

dem est, quod productum. Nec potest (ait Capr.)  
perfectus haberi sensus, nisi addito talibus ver-  
bis accusatiui actionis effectum significantem in  
generali vel in speciali; vt dicendo ædificator æ-  
dificat ædificium vel palatium: producens produ-  
cit productum vel ignem. Quam doctrinam  
sequitur hic Caiet. & alij. Ex hoc enim quod illa  
verba, puta dicere & diligere includunt prop-  
rium effectum siue productum, vt actioni con-  
iunctum, sequitur vt eandem semper retineant  
habitudinem ad ipsum effectum siue terminum.  
Dicere enim semper significat habitudinem ad  
verbum tanquam terminum dictione produ-  
ctum, quia dicere est verbum producere: cum ta-  
men habitudo ad rem per additum casum accu-  
satiuum significata non sit eadem, sed diuersa  
iuxta diuersitatem rei significata. Nam si dicam,  
Petrus dicit historiam Troiæ: aliam habitudi-  
nem significo ab ea, quam exprimo dicendo, Pe-  
trus dicit miracula Christi. Alia verò verba, quæ  
claudunt effectum vt specificantem, nullam ha-  
bent certam & immobilem habitudinem ad ali-  
quem effectum vel terminum, sed omnis eorum  
habitudo ex addito accusatiuo determinatur in  
genere vel in specie, vt ante diximus ex Capreol.  
Nec alia querenda est causa, cur verba quædam  
ita significant, & alia minime nisi libera voluntas  
instituentis, vt ait Caiet. Eandem doctrinam sub  
alijs terminis habet S. D. in 1. dist. 32. q. 1. a. 1. quam  
explicat Syluest. cuius discursus breui ac facili  
compendio colligunt Ban. Zum. Val. & Vasq. qui  
cum Sylu. diuersam profitetur suam esse doctri-  
nam ab ea, quam adduximus ex Cai. & Cap. cum  
tamen sit prorsus eadem.

Dicunt igitur Expositores prædicti duplicem  
esse actionum differentiam. Nam *actiones quedam*  
sunt, quæ proprium aliquem & immediatum  
habent effectum mediantem inter ipsas & obie-  
ctum siue materiam, quæ per eas attingitur, aut  
quam significantur attingere. Itaque verba talis  
actionis significantia, duplicem in eis important  
ordinem siue respectum. Alterum ad effectum  
siue terminum per eas productum. Alterum ad  
obiectum siue materiam circa quam versantur,  
siue sint actiones transuentes, vt dealbare & flo-  
rere, siue sint immanentes, vt dicere & diligere.  
Nam dealbatio proprium habet effectum, qui est  
albedo producta, quæ media est inter dealbatio-  
nem & rem dealbatam; & similiter dicere pro-  
prium habet terminum, quasi effectum produ-  
ctum, scilicet verbum medium inter actum di-  
cendi & rem verbo dictam siue representatam:  
& diligere notionaliter habet amorem produ-  
ctum, qui medius est inter actum amandi & rem  
amatam; atque ideo duplex in quolibet similium  
verborum significatur habitudo: vna ad termi-  
num productum, quam inuariabilem esse dixi-  
mus; alteram ad obiectum siue materiam circa  
quam versatur actio, quæ diuersa est iuxta rei di-  
uersitatem per casum accusatiuum significata.  
In hoc igitur actionum genere, quatenus vt pro-  
prios effectus includentes significantur, fieri po-  
test agentis denominatio, non ab actione tan-  
tum, sed etiam ab effectu siue termino producto;  
dicendo exempli gratia: Petrus albedine dealbat  
parietem: arbor floret floribus: Paulus dicit ver-  
bo historiam; Pater dicit se, filium, Spiritum S.  
& creaturas verbo: Pater & filius diligunt se &  
Spiritus S. & creaturam Spiritu sancto. Ratio  
verò est; quoniam in hoc actionum genere effe-  
ctus siue terminus productus ex parte actionis  
se tenet magis, quàm ex parte obiecti; pertinet e-  
nim ad perfectionem & complementum opera-  
tio-

Probatur ea  
de veritate,  
exponi-  
tur eadem re-  
gula sub alia  
forma, sed  
in eadem sen-  
su. Consequen-  
ter inu-  
ditur non  
purè notio-  
nallyter in di-  
sta proposi-  
tione.

tionis, & est intimus illi. Et quemadmodum actio per se & ex natura sua ordinem habet ad obiectum siue materiam circa quam versatur; ita etiam ad idem obiectum siue materiam ordinatur terminus productus, puta albedo ad hoc vt fiat paries albus; flos vt fit arbor florida; verbum ad representandum; amor ad obiectum diligibile. Quo fit vt eadem ratione qua denominatur agens à dicti generis actionibus, denominetur etiam ab earum effectibus siue terminis per eas productis: Et quia principium actionis potest etiam esse illius obiectum, vt patet, cum aliquis intelligit & amat se: ideo actus notionalis predicto modo significatus potest reflecti supra principium ipsius actus, dicendo: Pater & Filius diligunt se Spiritu S. *Quadam vero actiones sunt nullum habentes effectum, qui fit medius inter eas & obiectum, quod per eas attingitur, siue materiam circa quam versatur: sicut generare, producere, edificare & spirare; his enim verbis importatur actio vt immediate attingens obiectum siue materiam circa quam versatur: & vna tantum significatur habitudo, quæ est ad terminum vel effectum actione productum. Et in hoc actionum genere, prout ita verbis significantur, fit agens ab actione sola denominatio, non autem ab effectu. Non enim dicimus Patrem generare Filio sed generatione: nec producendum producere productum sed productione: nec edificatorem edificare æde sed edificatione; nec spiratorem spirare Spiritu S. sed spiratione, ob dictam causam; quia scilicet nullus effectus aut terminus productus significatur his verbis vt medius & per se ordinatus ad vltiorem terminum siue obiectum aut materiam circa quam versatur agens; sed solam actionem predicta verba significant, vt ad tale obiectum siue materiam ordinatam.*

Et ex his apparet expositionem Caiet. in nullo esse diuersam à predicta, sed ex ea mirifice declarari. Nam quod dixit Caiet. verba quædam effectum vt actioni coniunctam significare, & habitudinem habere immutatam ad terminum: hoc apertius explicat recentiores dicentes; verba quædam significare actionem, quæ medium habet effectum siue terminum productum inter ipsam & obiectum; qui terminus cum se teneat ex parte actionis vt eius perfectio, dicitur illi coniunctus, & respectus ad ipsum inuariabilis. Coincidunt igitur ambæ expositiones, & vna per alteram explicatur.

Dñi.

Et hinc facile soluitur alia **QVÆSTIO**, an diligere sumatur hic à D. Th. merè notionaliter, vt videtur accepisse nonnulli; an autem includat, vel consistat aliquid essentialiter? Nam si diligere notionaliter sumptum duplicem importat respectum, scilicet ad effectum siue terminum productum, & ad obiectum, scilicet diligibile: sequitur hic non sumi diligere merè notionaliter, sed prout includit actum dilectionis essentialem, cuius obiectum est ipsum diligibile: sicut etiam amor personalis, qui est Spiritus S. non sumitur pro relatione subsistente præcisè, sed prout etiam includit amorem essentialem. Quod satis apertè significat S. D. in resp. ad 3. dicens: *Diligere prout notionaliter sumitur, non solum importat productionem diuina persona, sed etiam personam productam per modum amoris, qua habet habitudinem ad rem dilectam. Vnde, sicut Pater dicit se, & omnem creaturam am verbo, quod genuit, in quantum verbum genitum sufficienter representat patrem, & omnem creaturam, ita diligit se, & omnem creaturam spiritu sancto in quantum spiritus sanctus procedit, vt amor bonitatis Naz. in 1. part. D. Th. tom. 2.*

**A** prima secundum quam pater amat se, & omnem creaturam: & sic etiam patet, quod respectus importatur ad creaturam, & in verbo, & in amore procedente, quasi secundario: in quantum scilicet bonitas, & veritas diuina est principium intelligendi, & amandi omnem creaturam. Hæc D. Thom. Ex quibus etiam patet falsum esse, quod hic ait Molina, videlicet verbum hoc dicere in recto significare hoc quod est exprimere, & representare res verbo dictas & expressas. Nam verbum, dicere, cum sit notionale, primò significat respectum patris dicentis ad ipsum verbum, vt affirmat in art. precedente S. D. Sed quia verbum genitum procedit per modum intellectus & representat omne intelligibile; idcirco secundario & quasi in obliquo connotat aut significat respectum ad Deum & creaturas, vt per ipsum representata; quod idem proportionaliter dicendum est de diligere.

Molina di-  
am reijcit  
tur.

**B** SECUNDO considerandum est, præcipuam huius controversiæ partem in eo positam esse, vt explicetur modus, quo proprie fieri possit patris & filij denominatio à Spiritu S. veluti termino dilectione producto. In hoc enim puncto defecit Magister, & cum eo Torres, Molina & alij plures ex antiquioribus quos hic & alibi recenset D. Th. Affirmat autem hic S. Doct. cum vltima quam refert Scholasticorum sententia, in hac propositione, *Pater & Filius diligunt se spiritu sancto*, ablatiuum illum, *spiritu sancto*, construi in habitudine effectus formalis, vt habetur in textu & planius explicatur in 1. vbi sic ait S. D. *Dicitur effectus largo modo omne id, quod à principio est; quia proprie in diuinis non est effectus, nec effectus, & formale dicitur, quod habet effectum forma in denominando; & est sensus: A patre, & filio procedit amor, qui est spiritus sanctus, quo diligunt se. Et ibidè ad argumenta. Amor (inquit) personalis non se habet ad patrem diligentem vt principium dilectionis, sed magis vt actus denominans: & ideo non construitur in habitudine alicuius principij, nec in habitudine forme, in quantum forma est principium: sed solum in quantum forma est denominans, si ut dicitur: iste est agens actione: & ideo, quia præpositiones important expresse habitudinem cause, non ita est propria ista: Pater diligit Filium per Spiritum sanctum: sicut hæc: Pater diligit Filium spiritu sancto; quamuis etiam concedi possit, in quantum est principium denominationis non simpliciter. Hæc autem: Pater diligit à Spiritu sancto, nullo modo concedenda est. Hæc ibi D. Th. Ex quibus euanescit ea difficultas, quam si-*

**C** bi fingere videtur Suarez in dicto cap. 3. num. 9. est enim hæc denominatio partim intrinseca, quantum Spiritus S. qui est terminus productus, ad quandam perfectionem pertinet actus spirationis, & quatenus essentialem amorem includit; partim etiam extrinseca est, qua ratione Spiritus S. est à patre & filio spirantibus persona distincta.

Suarezij dif-  
ficultas va-  
na.

**E** Affert autem Suarez quandam huius denominationis expositionem vt propriam, quam tamè expresserat S. D. in primo sent. Ait ergo Suarez denominationem esse posse vniionis cuiusdam affectiue: nam ea quæ se diligunt, vniuntur affectu; & ideo (inquit) rectè dici possunt vniiri, & dilectione ipsa, tanquam ipsa vniione; & termino producto tanquam eo in quo vniuntur. Contingit enim aliqua vniiri in tertio seu in termino aliquo; & tunc non tantum denominantur ab ipsa vniione seu actione qua vniuntur, sed etiam à termino: quomodo linea dicuntur vniiri puncto seu centro: & duæ naturæ in Christo dicuntur vniiri vna substantia. Sic ergo pater & filius dicuntur vniiri Spiritu S. non informatiue sed

var. expo-  
silio ex D.  
Thom.

Contra Suarezium.

terminatiue, &c. Hæc ibi Suarez. *Sed in primis per hæc non soluit propositam à se difficultatem; an scilicet talis denominatio sit intrinseca vel extrinseca. Deinde nihil dicit singulare. Nam S. Thom. respondens ad argumentum cuius maior erat. Omnis amor quo aliqui se diligunt, est vinculum, vel nexus vnians eos, sic ait. Hæc est vera: Pater, & filius vniuntur Spiritu sancto, secundum quodd Spiritus sanctus est ipsa vnio, sicut & amor quo formaliter vniuntur, sicut eo quod ab eis procedit, sicut aliqui vniuntur vno actu. Nec tamen ista simpliciter concedenda est, quod Spiritus sanctus vniat patrem, & filium; quia vnire significat modum vnientis effectiue quod non conuenit spiritui sancto. Potest tamen concedi, si intelligatur vnians formaliter: sicut albedo dicitur facere album. Hæc D. Thomas. Vbi aduerte Spiritum S. dici vnire formaliter patrem & filium vt terminum ab vtroque procedentem, vt iam dixerat D. Thom. in verbis modo relatis. Nihil igitur attulit Suarez proprii, sed D. Thomæ sententiam paulò fufius explicauit: nec diuersus est hic dicendi modus à præcedenti, sed denominationis modum, quem in communi tantum expresseerat in corpore, illius argumenti solutione declarat in particulari. Ex dictis sequuntur quinque conclusiones.*

Conclusiones deducuntur, & probantur.

**PRIMA CONCL.** Regula illa D. Thom. (Quædo effectus in intellectu actionis includitur, potest agens denominari ab actione, & à termino qui est actionis effectus) verissima est & optime exponitur à Capr. Cai. Sylu. & alijs eum sequentibus modo superius explicato.

**SECUNDA CONCL.** Illa propositio (Pater & filius diligunt se Spiritu S.) in rigore & proprietate sermonis est vera, iuxta sensum quem explicat S. Thom. Hanc latè probat Zumel. & alij recentiores proferentes ex Magistro dicta Sanctorum Hieronymi, August. Bernardi & aliorum; quæ tamen Suarez in dicto cap. 5. negat sensum propositionis, de qua disputamus exprimere; nititurque singula dictorum Patrum dicta de Spiritu S. interpretari, quatenus identicè est amor siue dilectio essentialis. Quam expositionem voluntariam, nec dicam violentam magis, quam dictis Patrum consonam existimauerim.

**TERTIA CONCL.** In dicta propositione, diligere, sumitur notionaliter; non præcisè tamen, sed vt etiam includit in se, & in suo termino producto amorè essentialem.

**QUARTA CONCL.** In dicta propositione denominantur Pater & filius diligentes Spiritu S. tanquam effectus formali, id est termino producto; qui cū sit amor & nexus, denominat ad modum vnientis formaliter. Hanc latè probat Capr. ex D. Th. & est apud eum quinta.

**VLTIMA CONCL.** Verus & proprius sensus dictæ propositionis est: Pater & filius diligunt se Spiritu S. id est dilectione producunt Spiritum Sanctum vt amorem & nexum vniusque: & in quo est ratio omnis diuina dilectionis & diligibilitatis. Hæc patet ex dictis.

Ob. 1. contra 1. concl.

**CONTRA primam concl.** quo ad priorem eius partem sunt omnia argumenta Scoti & Aur. quæ referunt & soluunt Capr. Cai. Iauel. Zum. & alij expolitores; sed ex dictis omnia facild diluuntur. Contra eandem concl. quo ad secundam eius partem argumentatur Syluest. Primò. Quia secundum expositionem Caiet. omnis effectus proprius cuiusque actionis denominabit in abla-

tiuò. Probatur sequela; quia ex eo quòd proprius semper est coniunctus actioni, immò & agentis in actu ex 7. Phys. & est de intellectu actionis: cum sit eius obiectum & terminus. *Secundò.* Quia membra distinctionis Caiet. coincidunt. Ergo. Probatur antecedens; quia omnis effectus specificans actionem est ei coniunctus ex 7. Phys. & de eius intellectu, si actioni dat speciem. *Respond.* hæc obiecta procedere ex malo intellectu verborum Caiet. Vnde ad primum negatur sequela. Ad probationem negatur consequentia; nam aliud est esse coniunctum, & aliud significari vt coniunctum, id est vt terminum immobilis habitudinis ad ipsum, vt supra notauimus cum Cai. *Ad secundum* negatur antec. Ad probationem negatur sequela ob dictam causam. Et præterea aliud est effectum esse de intellectu actionis, vt est specificans actionem; & aliud est esse de intellectu actionis, prout est actioni coniunctus, modo superius explicato.

*Contra eandem partem* argumentatur Vasquez ex aliorum scriptis. *Primò.* Non magis includitur in conceptu dictionis verbum productum, tanquam productum coniunctum producenti, quam spiritus in conceptu spirationis: Ergo male Caiet. discrimen constituit inter illa duo genera actionum. Antecedens probatur; quia omnis actio siue in genere siue in specie considerata ordinem habet ad suum terminum, tanquam ad productum coniunctum producenti; quod præfertim verum est in generatione; hæc enim ita intrinsecum ordinem habet ad filium genitum, sicut dictio ad verbum: & tamen non dicimus: Pater generat filio aliquid aliud; ergo &c. *Respond.* falsum esse antec. Ad cuius probationem negatur antecedens sumèdo dictionem & generationem, vt per has voces dicere & generare significantur; quicquid sit de actione generandi & dicendi secundum se, quæ vna & simplicissima est.

*Secundò.* Diligere non significat actionem, quæ postulat duplicem casum accusandi; non enim dicimus, saltem in creatoris, homo diligit amorem suum & amicum; & tamen dicimus homo diligit amicum amore suo. Ergo male Cai. discrimen illud constituit inter illa duo genera actionum. *Respond.* nullam esse conseq. Non enim est necesse tales actiones duplicem accusatiuum postulare, sed sufficit vt post accusatiuum significantem obiectum adiungi possit casus effectiuius siue ablatius, significans productum terminum quo denominetur agens.

*Contra priorem partem* argumentatur Suarez. Quotiescunque terminus actionis constituitur illo modo cum verbo significante productionem, significatur vt forma eius, cui accommodatur: Ergo oportet, vt det illi denominationem formalem vel intrinsecam & propriam; vt in hac; ignis calefacit lignum calore producto; vel per adiacentiam aliquam, quo modo est vera illa locutio; arbor floreat floribus, quia flores manent in arbore & ornant illam. Vel per extrinsecam denominationem seu representationem, quomodo est vera illa locutio: Pater dicit se vel alia verbo. At verò non potest hic esse formalis & intrinseca denominatio, vt constat: neque extrinseca apparet; quia Spiritus Sanctus nec repræsentat, neque adiacet seu ornat Patrem & filium producentes ipsum. *Respondetur* primò falsum esse antecedens; satis est enim vt significetur vt effectus

Solut. ad

ad modum formæ denominans. Secundò admissio terminum actionis esse formam quoad actum denominandi præcisè, dico denominationem illam esse aliquo modo intrinsecam & aliquo modo extrinsecam, formaliter autem & propriè extrinsecam. Et quamvis Spiritus S. neque sit adiacens neque representet, habet tamen aliquid maius adiacentia, scilicet identitatem essentialem & inexistenciam personalem in Patre & Filio, & ab utroque procedit ut terminus vtriusque dilectione productus: & consequenter ut amor & nexus amorum, ut latè superius explicauimus. Quod igitur efficit in verbo representatio, hoc idè præstat nexus in Spiritu S. quo ad effectum denominandi.

Obi. 6.

Contra eandem partem argum. Rada, sed eius argumenta, vel cum prædictis coincidunt, vel manifestè falsas habent consequentias, ut est illud spirare solam productionem notionalem dicit, diligere notionaliter non ita; quia respectu ad rem amatam importat; ergo Spiritus S. non magis significatur ut coniunctus actui per verbum diligere, quam per verbum spirare. Respond. enim falsam esse consequentiam & oppositum manifestè ex illo antecedente deduci, ut patet ex dictis.

Solut.

Obi. 7.

Simile etiam est illud. Neutralitas verbi spectat tantum ad modum significandi secundum Calet. & non ad rem significatam; Ergo saltem verbum neutrum quo ad modum significandi non importat actionem. Falsa est enim consequentia, & eius oppositum sequitur ex antecedente scilicet verbum neutrum quo ad modum significandi non importat actionem, cum tamen non prohibeatur illam secundum se significare.

Solut.

Obi. 1. cõs. 2. concl.

CONTRA secundam conclus. sunt argumenta Dur. & Scoti, quæ refert & soluit Zumel. quæ tamen eadem sunt cum argumentis notatis contra primam conclusionem. Contra eandem conclus. & vltimam argum. Torres. Primò. Illa propositio est propria in aliquo sensu, quæ facit illum sensum iuxta propriam & germanam significationem terminorum, ex quibus constat: At illa propositio non est huiusmodi; Ergo &c. Probatur minor; quia diligere sua propria significatione non significat producere amorem aut Spiritum S. Ergo &c. Antec. probatur; quia verè diligit qui non producit amorem, sed illum habet longo tempore antea productum; & ut quis diligit, requiritur ut amor prius producat. Resp. falsam esse minorem. Ad probationem negatur antecedens loquendo de diligere notionaliter, aut etiam de diligere creato. Ad probationem dico, cum qui diligit, semper producat actu amorem, cum non possit esse amor sine actu secundo dilectionis: sicut neque verbum sine actuali intellectu: neque prius est amor quam dilectio, ut est in fieri & quasi via ad terminum; quamvis non intelligatur perfecta nisi producta per eam termino, ut explicauimus in q. 27. a. 3.

Solut.

Obi. 2.

Secundò. Si Deus de solo in mente nostra produceret amorem, nos amore illo diligeremus, & non produceremus illum: & viceuersa, Deus produceret illum amorem, & non diligeret: Igitur diligere secundum naturam & germanam significationem non significat producere amorem aut Spiritum S. atque adeò cum diligere notionaliter sumitur à S. Thom. non utitur hoc verbo propriè in sua significatione. Respond. casum in conditionali propositum esse impossibi-

Solut.

lem & implicare contradictionem. Nam de ratione operationis vitalis, & eius termini intrinseci est, ut sit ab intrinseco principio vitali: & ideo eo casu posito sequuntur contradictoria, nimirum nos amorem illum producere; quia vitalis actus seu terminus eius intrinsecus est: & nos illum producere; quia infunderetur à Deo.

Tertiò contra exemplum de florere utitur argumentum Scoti & Aureoli, à Capr. & Cai. soluto; & addit prius natura arborem producere flores quam florere; quòd manifestè falsum est; nam ipsa floris productio, est floritio.

Quartò. Dicere verbo non est formaliter producere verbum, sed verbo manifestare conceptus: Ergo nec diligere est spirare amorem. Resp. falsum esse antec. ut in q. 27. ostendimus cumulatè.

CONTRA tertiam conclusionem argumentatur Zumellus. Primò. S. Thom. hic apertè dicit, quòd hic diligere sumitur notionaliter, sicut dicere sumitur notionaliter, dicendo Pater dicit se verbo. Secundò. Quia diligere sumitur pro diligere productiuo; Ergo pro diligere notionali. Tertiò. Quia dilectio notionalis non est talis, nisi ut coniuncta notioni personæ producentis: sed hoc modo sumitur hic diligere; Ergo &c. Resp. his

argumentis probari sumi à D. Th. diligere notionaliter, non tamen præcisè. Nam sicut in hac propositione, Pater dicit se verbo, sumitur dicere notionaliter, non tamen præcisè; quia significatur etiam ordo ad obiectum importatum per illum accusatiuum, se, qui ordo est ad essentialitatem in verbo inclusam secundum rationem representatiui: ita in hac propositione, Pater & Filius diligunt se, & creaturam Spiritu S. diligere sumitur notionaliter, sed non præcisè; quia in illo accusatiuo se, & creaturam, significatur obiectum dilectionis, ad quod habet ordinem diligere ratione amoris essentialiter inclusi, ut ante diximus: Vnde etiam ipse Zumel. fatetur in verbo, diligere, non exprimi solum habitudinem notionalem, sed etiam essentialem simul.

CONTRA quartam conclusionem est argumentum Suar. quod adduximus contra primam conclusionem ex cuius solutione facile soluntur alia quædam similia apud Capreol. & alios.

CONTROVERSIA SECUNDA.

An hæc propositio: Pater & filius diligunt creaturas Spiritu sancto, vera sit in proprio, ac formali sensu.

SCOTVS in 1. distinct. 32. quaest. 2. ad vlt. ar. Sententia 3. quem sequitur Rada controu. 17. ad 3. Doctorem existimat prædictam propositionem esse falsam.

Torres in sine commentarij huius articuli putat eam esse veram in hoc sensu, videlicet: Pater & Filius dum diligunt creaturas, producant Spiritum S. quia scilicet ab æterno producant Spiritum Sanctum & diligunt creaturas. Eandem sententiam sequitur Zumel. super hoc artic. in sine.

Suarez lib. 11. cap. 3. in sine duo dicit. Primum. Sicut verbum licet absoluta necessitate non representet creaturas futuras, tamen ex suppositione, quod futuræ sunt necessariò representat

illas, quia verbum necessariò procedit aptum ad repræsentandas creaturas etiam existentes: ita Spiritus S. necessariò includit proportionalem relationem, vt scilicet quamuis necessariò non oporteat creaturas diligere, si tamen creaturæ diligendæ sunt à Deo, illo eodem amore diligendæ sunt, quo procedit Spiritus S. Est ergo vera secundum Suarez. illa propositio in hoc sensu: Pater & Filius diligunt creaturas Spiritu S. id est Pater & Filius diligunt creaturas, quæ diligendæ sunt eodem amore, quo procedit Spiritus S. secundum eius dictum est. Hæc propositio non est satis propria, nec vsurpanda sine sufficenti declaratione.

Vasquez *disp. 152. cap. 2.* reiecto modo dicti S. Thom. *in 1. dist. 32. q. 1. a. 3.* qui est etiam D. Bonau. & Marsilij, *eadem distinctione*, sentit dictam propositionem esse veram de creaturis tam futuris, quam possibilibus, sumendo diligere notionaliter: quia scilicet Spiritus S. tanquam terminus productus per dilectionem, non solum habet respectum producti ad Patrem & Filium, sed etiam respicit obiecta secundaria amoris, sicut ipsa dilectio notionalis. Deinde notat dilectionem notionalem liberè referri ad creaturas, ad quas si futura non essent, posset non terminari.

Sed aliam prædictis longè diuersam habet sententiam D. Th. *in dist. 22. dist. primi sent.* Ad cuius euidenciam.

*Resolutio.*  
*Veram esse*  
*dictam pro-*  
*positionem,*  
*sive sum-*  
*tur diligere*  
*essentiali-*  
*ter, sive no-*  
*tionaliter.*

Sciendum est primò ex eodem S. D. *infra. q. 45. art. 6.* Diuinas personas secundum rationem suæ processionis habere causalitatem respectu creationis rerum; quoniam Deus est causa rerum per suum intellectum, & voluntatem: sicut artifex rerum artificiarum. Artifex autem per verbum intellectu conceptum, & per amorem suæ voluntatis ad aliquid relatum operatur; itaque similiter etiam Deus Pater operatus est creaturam per suum verbum, quod est filius, & per suum amorem qui est Spiritus S. Hoc igitur modo processionem personarum sunt rationes productionis creaturarum, quatenus essentialia claudunt attributa, quæ sunt scientia & voluntas. Hæc ferè ad verbum D. Thom. qui *in 1. loco superius allegato*, eidem innitens fundamento ait processionem diuinarum personarum esse quandam originem processionis creaturarum; eo quòd omne primum in aliquo genere sit causa eorum, quæ sunt post; quamuis efficientia creaturarum essentia communi attribuatur. Igitur Spiritus sanctus secundum rationem suæ processionis, qua procedit vt amor, ratio est & origo processionis creaturarum à Deo; nam diuinus amor effectiuus est esse & bonitatis create.

Secundo considerandum est ex eodem Angelico nostro Doctore, *eadem dist. & art.* in illa propositione verbum, *diligere*, dupliciter sumi posse scilicet essentialiter, & notionaliter: & si vtrouis modo sumatur diligere, vera est propositio, sed est diuersa ratio veritatis. Nam si diligere sumatur essentialiter: in ipso dilectionis verbo designabitur efficientia totius Trinitatis: ex hoc enim res producuntur in esse, quòd Deus vult eis hoc bonum, quòd est esse: idem autem est velle bonum, quòd amare. In ablatiuo autem, quo significatur persona Spiritus sancti designabitur (inquit Sanct. Doctor) ratio efficientia, non ex parte efficientis, puta patris

*Quomodo*  
*Spiritus S.*  
*fit ratio ef-*  
*ficientia re-*  
*rum.*

A & filij, sed ex parte rerum effectuarum, quarum rationem & originem diximus esse duplicem personarum processionem, verbi scilicet & amoris, modo superius exposito; & erit sensus: Pater & filius diligunt creaturas Spiritu sancto, id est produciunt creaturas, & ratio productionis est spiritus sanctus. Ad cuius euidenciam considerandum est, nullam in Deo personam habere rationem principij respectu alicuius essentialis; vnde falsa communiter à Theologis asseritur illa propositio à D. August. retractata: Pater est sapiens sapientia genita; quia scilicet sapientia patris non dependet à filio; ergo neque Spiritus sanctus habet rationem principij in patre & filio quo ad dilectionem essentialem, qua diligunt creaturas; sic enim haberet Spiritus sanctus respectum causalitatis formalis ad Patrem & filium; quorum dilectio à Spiritu sancto veluti formali principio dependeret. Sed quemadmodum in egressu artificiorum duplicem consideramus processum: alterum ipsius artis ab artifice, quatenus per actum intellectus eius sibi conceptionem format; alterum artificiatorum ab arte concepta; sic in processu voluntatis duo contemplamur, videlicet exitum amoris ab amante, & exitum rei datæ per amorem ab ipso amante. Igitur, si primum attendamus exitum, qui est amoris ab amante, Spiritus sanctus qui est amor productus, se habet ad Deum diligentem creaturas vt effectus, siue quod est à principio, sicut & verbum. Sed quo ad alterum exitum, scilicet rei datæ per amorem ab amore, se habet Spiritus sanctus vt principium, creatura verò vt effectus, modo superius expresso.

Si verò diligere sumatur notionaliter verbum *diligunt*, non importabit ex principali intentione habitudinem efficientia respectu creaturæ, sed principaliter denotabit rationem huius efficientia ex parte rerum effectuarum; & consequenter dabit intelligere habitudinem efficientia; & erit sensus: Pater & Filius diligunt creaturam Spiritu sancto id est spirant amorem personalem, qui est ratio omnis liberalis collationis factæ à Deo creaturæ, vt ibidem inquit sanct. Thom. Eandem doctrinam breuius continet responsio *ad 3. argumētum.*

Tertio observandum est, cum dicitur Pater & Filius diligunt creaturas Spiritu sancto, non significari Spiritum sanctum procedere per amorem creaturarum formaliter; sicut non significatur filium procedere ex cognitione creaturarum formaliter, cum dicitur. Pater dicit creaturas verbo suo. Nec in responsione ad tertium id exprimit S. Thom. quamuis dicat Patrem diligere se & omnem creaturam Spiritu sancto: in quantum Spiritus sanctus procedit vt amor bonitatis primæ, secundum quam pater amat se & omnem creaturam: sicut Pater dicit se & omnem creaturam verbo quod genuit, in quantum verbum genitum sufficienter repræsentat Patrem & omnem creaturam. Iam enim diximus, ex hoc modo loquendi non significari processionem verbi à cognitione creaturarum formaliter. Igitur nec ex illo denotatur Spiritum sanctum procedere ex amore creaturarum formaliter, sed materialiter tantum. Et idè non est hic necessaria illa quaestio, quam tractat Suarez *lib. 11. de Trin. cap. 2.* videlicet ex quarum rerum amore Spiritus sanctus procedat.

*Spiritus san-*  
*ctus procedere*  
*ex amore*  
*creaturarum*  
*formaliter*  
*provi in Deo*  
*sum, & quo*  
*ad eam ef-*  
*ficientia, no*  
*autè quo ad*  
*earum exis-*  
*tentiam.*

Tamen aduerte posse creaturas à nobis tripliciter considerari. *Primò*, vt sunt eminenter in Deo tanquam in primo ente & causa earum productiua: quo essendi modo ait D. Augult. creaturas in Deo esse creatrices essentias. *Secundò* possunt considerari quo ad earum essentias & habitudines prædicati ad subiectum: quomodo dicuntur esse possibili secundum se: quia contradictionem non implicat eas produci & esse. *Tertiò* possunt à nobis concipi vt actu productæ & existentes in aliqua temporis differentia. De creaturis primo modo consideratis certum est Spiritum S. ex earum amore procedere: sicut certum est illum procedere ex amore Dei, qui est esse per essentia, continens eminenter vniuersa creata & creabilia. Si verò secundo modo considerentur creaturæ, dubitant recentiores; num ex earum amore procedat Spiritus S. & in oppositas diuiduntur sententias. Partem affirmantem sustinet Vasquez, negantem amplectitur Suarez. Nos supra *quæst. 20. & alibi* nostrum de hac difficultate iudicium significauimus dicentes Deum creaturas vt possibile diligere necessariò, sicut amat Deus necessariò suam omnipotentiam. Bonum enim omne, quod à libera Dei voluntate non dependet, necessariò diligit Deus. Constat autem creaturas secundum suas essentias vt sic, & secundum esse possibile vt sic non dependere à libera Dei voluntate; cum rerum essentia & earum esse possibile vt possibile consistat in habitudine necessaria terminorum, siue rationum formalium, ex quibus integratur & explicatur cuiuslibet rei natura. Cum itaq; Spiritus ex amore necessariò & naturali procedat, necesse est etiam ex amore creaturarum possibilem quæ naturaliter à Deo diliguntur, emanare.

Soluitur obiectio.

Nec obstat, quod Deus nihil extra se amat necessariò; quia dictum hoc intelligendum est de simpliciter entibus, quorum est habere propria existentiam in aliqua durationis differentia, qualem non habent entia possibile, quæ nec simpliciter entia dicenda sunt. Et cum nullam habeant in seipsis sed in Deo tantum existentiam, & eorum essentia ex ipso esse per essentiam quadam ratione dependeat, vt supra *q. 16. & alibi* declarauimus: consequens est omnem dilectionis & diligibilitatis necessitatem, ad ipsum esse per essentiam & Dei bonitatem infinitam referendam esse, vt primam & sufficientem rationem omnis diligibilis & dilectionis. Igitur formaliter & simpliciter loquendo, sola diuina bonitas necessariò diligitur. Extenditur tamen quodammodo siue secundum quid, diuina dilectionis necessitas ad possibile, quatenus necessitatem essendi in tali esse scilicet quidditatiuò à Deo suo modo participant. Diliguntur autem à Deo hæc possibile non secundum esse tantum, quod habent in Deo, sed secundum proprias essentias, vt ad proprias existentias, nõ actu sed possibiliter ordinatas; vult enim Deus rebus possibilibus hoc bonum, quod est esse earum, vt possibile.

Soluitur obiectio 1a.

Nec oppositum docuit S. Thom. sed solum affirmat in *quæst. 20. art. 2.* Deum amare omnia existentia, & amorem Dei esse infundentem & createntem bonitatem: nostrum autem prouocari ex rerum bonitate vera vel æstimata. Intendit enim S. Doct. hæc duo. Primum est. Omnia existentia à Deo diligi. Secundum. Rerum existentiam à Deo creari; non tamen affirmat, si verba eius considerentur attentè, in omnibus rebus à Deo dilectis existentiam cau-

A fari. Sed ait nullam esse rem existentem, cuius esse non sit à Deo causatum; quamuis etiam dici posset D. Thomam loqui de dilectione entium simpliciter, quorum est proprie & simpliciter diligi; nam quæ possibile tantum sunt, sicut simpliciter entia non sunt, ita nec simpliciter; sed quodammodo diliguntur à Deo. Et ex his soluuntur obiecta Suar. in *dist. 2. cap.*

Obiectarum Suarezij. Iohannes.

Si denique sermo sit de creaturis, prout existunt in aliqua temporis differentia, distinguendum est. Amor enim quo Deus diligit creaturas, vel sumitur materialiter vel formaliter; Si materialiter, certum est Spiritum Sanctum ex amore procedere, quo Deus diligit, creaturas; quia scilicet eodem actu, quo Pater & Filius liberè diligunt creaturas, producant Spiritum S. quomodo videntur loqui Torres & Zume. Sed quæstio nostra est de amore creaturarum formaliter sumpto, prout scilicet ad creaturas vt obiecta secundaria liberè volita terminatur. de quo supra Cai. *quæst. 34. a. 3. ad argumentum Scoti* dixit, ex eo non procedere Spiritum S. Vbi nos etiam plura diximus ad hunc locum maxime pertinentia. Sufficiet nobis hoc vnicum argumentum. Actus omnes naturales diuinarum personarum prius intelliguntur terminari, quam liberi. Sed generatio & spiratio, sunt actus naturales: dilectio verò creaturarum est actio liber: ergo prius intelliguntur actus generationis & spirationis ad genitum & spiratum terminati, quam dilectio ad creaturas; ergo non potest Spiritus S. processio esse ex amore creaturarum vt sic. Maior probatur; quia naturalia priora sunt liberis in Deo; nam liberè dicuntur actiones quæ liberè terminantur ad creaturas: hæc verò communes sunt omnibus personis. Igitur præsupponunt diuinarum personarum processiones, vt ex eis iam completis inferuntur processio creaturarum per liberum diuinæ bonitatis amorem. Vnde paulò ante diximus cum D. Thom. processiones Filij & Spiritus S. esse rationes & origines processions creaturarum.

Quomodo verò procedat Spiritus S. ex amore diuinitatis, & mutua dilectione Patris & Filij, & etiam ipsius Spiritus S. & spirationis ipsius, declarat & probat cumulatè Suarez in *dicto cap. 2.* ad quem lectorem remittimus. Ex dictis sequuntur tres conclusiones.

PRIMA CONCL. Hac propositio, Pater & Filius diligunt creaturas Spiritu S. vera est siue diligere sumatur essentialiter siue notionaliter.

Conclusiones deducuntur ex præmissis.

SECUNDA CONCL. Spiritus S. procedit ex amore creaturarum possibile formaliter.

TERTIA CONCL. Spiritus S. non procedit ex amore creaturarum existentium in aliqua temporis differentia.

Ob. cont. 1a. concl.

E CONTRA primam conclud. argum. Vasq. Non potest dici spiritus S. ratio processions creaturarum, nisi per appropriationem, idque valde improprie; ergo non est admittenda dicta propositio, sumendo diligere essentialiter, & exponendo illam, vt exponitur à S. Thom. Antecedens probatur; quia ratio producendi creaturas est vnitas essentia: pluralitas verò personarum ex parte principij ad eam per se non pertinet. Resp. primò, in processione Spiritus Sancti tria considerari, scilicet actum amandi tribus personis communem, & relationem processions Spiritus Sancti, & processione ipsam ex actu amandi & relatione quasi integratam. Primum est ratio absolute producendi creatur-

Solut.

ras, siue efficientiæ earum, non tantum ex parte A rerum effectuarum sed etiam ex parte ipsius efficientis. Secundum non est ratio producendi, sed proprietas individualis talis processionis, & forma constitutiua talis personæ procedentis, nimirum Spiritus S. Tertium autem est id, quod est ratio producendi, siue ratio efficientiæ ex parte rerum effectuarum, non ex parte efficientis; nam actus essentialis in processione clausus, & si concipi possit ad modum egredientis ab agente, non est tamen realiter egrediens, sed idem realiter quod ipsum agens: eo modo, quo in diuinis essentia idem est, quod persona. Et ideo talis actus non est processio realis, sed ipsa processio passiuè sumpta realiter est egrediens, & consequenter est & dicitur realis. Et quia quod est primum in aliquo genere, causa est ceterorum eiusdem generis: idcirco processio realis amoris in Deo, qua prima est in genere processionum, quæ ex Deo sunt per actum voluntatis & amoris, causa est illarum omnium, quasi ad modum vniuoci: non ex parte efficientis, ob supra dictam causam; quia scilicet dependentiam haberent causalitatis formalis Pater & Filius à Spiritu S. & eius processione; igitur est earum causa tantum ex parte rerum effectuarum: non ut efficiens propriè sed ut efficiendi ratio; ex parte tamen rerum effectuarum, & ut origo & ut exemplar. Quamuis enim absolute ratio efficiendi sit essentia, ratio tamen efficiendi tali modo, siue secundum talem rationem scilicet ut processio respectu processionum ad extra, quasi ad modum vniuoci propria est diuinæ processionis, secundum quam procedit amor personalis, in quo est ratio omnis amabilis, & ipsa est etiam exemplar omnis processionis creaturarum à Deo: non solum ratione amoris essentialis inclusi, sed etiam ratione clausæ relationis. Nam sicut de diuina paternitate dicitur Eph. 3. ex qua omnis paternitas in celo, & in terra nominatur: ita dici posset de filiatione, & de amore procedente, & de generatione amoris processionem, ex diuina scilicet filiatione, amore, generatione & amoris processionem omnem in terra nominari filiationem, amorem, generationem & processionem amoris. Ad arg. igitur respondeo, in Spiritu Sancto & eius processionem non attendi solam appropriationem, sed propriam etiam rationem realis processionis, ut realis processio est. Vnde falsum est antecedens. Ad cuius probationem iam dictum est essentiam esse rationem efficiendi absolute: processionem autem esse rationem efficiendi tali modo siue ratione, ad modum scilicet agentis vniuoci, ut scilicet processio realis sit causa processionis realis. Non est autem realis in Deo processio sine relatione: immò relatio ad modum actionis siue passionis significata est ipsa processio, ut ait S. D. infra q. 41. a. 1. & alibi. Secundo dico, supposita in Deo personarum pluralitate, eam per se pertinere ad principium creaturarum; quâuis absolute loquendo, in conceptu primæ causæ ut sic, non includatur pluralitas suppositorum.

CONTRA secundam conclusionem sunt argumenta Suarez. superius tacta & soluta.

### QVAESTIO XXXVII.

De nomine Spiritus sancti, quod est donum, in duos articulos diuisa.

Consequenter queritur de dono.  
Et circa hoc queruntur duo.

Primo, Vtrum donum possit esse nomen personale.

Secundo, Vtrum sit proprium Spiritus Sancti.

Ordo articulorum huius questionis.

CLARVS est duorum huius questionis articulorum ordo. Prius enim queritur id, quod est commune doni prædicatum: an scilicet possit esse nomen personale? deinde quod speciale est, inuestigatur: an scilicet sit proprium nomen Spiritus Sancti.

### ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum donum sit nomen personale.

AD Primum sic proceditur. Videtur, quod donum non sit nomen personale. Omne enim nomen personale, importat aliquam distinctionem in diuinis. Sed nomen doni non importat aliquam distinctionem in diuinis. Dicit enim Augustinus \* 15. de Trinit. quod Spiritus sanctus ita datur, sicut Dei donum, ut etiam seipsum det, sicut Deus. Ergo donum non est nomen personale.

2. Præterea. Nullum nomen personale conuenit essentia diuina. Sed essentia diuina est donum, quod pater dat filio, ut patet per Hyl. \* 8. de Trin. ergo donum non est nomen personale.

3. Præterea. Secundum Dam. † nihil est subiectum, aut seruens in diuinis personis. Sed donum importat quandam subiectionem, & ad eum cui datur, & ad eum à quo datur. Ergo donum non est nomen personale.

4. Præterea. Donum importat respectum ad creaturam. Et ita videtur de Deo dici ex tempore. Sed nomina personalia dicuntur de Deo ab æterno, ut pater & filius. Ergo donum non est nomen personale.

Sed contra est, quod August. \* dicit 15. de Trin. Si- cut corpus carnis, nihil aliud est, quam caro: sic donum Spiritus sancti nihil aliud est quam Spiritus sanctus. Sed Spiritus sanctus est nomen personale. Ergo & donum.

Respond. Dicendum, quod in nomine doni importatur aptitudo ad hoc, quod donetur. Quod autem donatur, habet aptitudinem, vel habitudinem, & ad id à quo datur, & ad id cui datur. Non enim daretur ab aliquo nisi esset eius, & ad hoc alicui datur, ut eius sit. Persona autem diuina dicitur esse alicuius, vel secundum originem, sicut filius est pater, vel in quantum ab aliquo habetur. Habere autem dicimur id, quo libere possumus vri vel frui, e ut volumus. Et per hunc modum diuina persona non potest haberi, nisi à rationali creatura Deo coniuncta. Alia autem creatura moueri quidem possunt à diuina persona, non tamen sic, quod in potestate earum sit frui diuina persona, & uti effectu eius. Ad quod quandoque pertingit rationalis creatura, ut puta cum sic sit particeps diuini verbi, & procedentis amoris, ut possit liberè Deum vere cognoscere, & rectè amare. Vnde sola creatura rationalis potest habere diuinam personam. Sed ad hoc, quod sic eam habeat, non potest pro-